

ORDINIS IVRIDICI
 IN
 ACADEMIA VITTEMBERGENSI
 H. T.
 DECANVS
 GEBH. CHRISTIANVS
 BASTINELLER

SACR. REG. MAIEST. POLON. AC PRINC. ELECT.
 SAXON. A CONSILIIS AVLAE, CONSISTORII
 ECCLESIASTICI DIRECTOR, DECRETALIVM PRO-
 FESSOR PVBLICVS, CVRIAE PROVINCIALIS ET
 SCABINATVS ASSESSOR PRIMARIVS, ATQVE
 ORDINIS SVI ORDINARIVS ET SENIOR

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

*Pr. num reus, pro re nata, ad probationem
 exceptionum suarum adhuc admittendus sit
 N. 754. 4.*


Coll. diss. A
 242, 20

Diss. A. 242 (20)


12

ORRINIUS IVRIDICI
ACADEMIA VITTEMBERGENSI
DE CANNIS
GERH. CHRISTIANVS
BASTIENNER

Stadte.
Landes-
Bibl.



De consueta praefatione meditan-
ti, in mentem mihi uenit notatu
dignus casus, qui in actis publi-
cis, ante aliquot annos a magi-
stratu ciuitatis cuiusdam in su-
periori Lusatia Facultati nostrae, iuris dicundi
causa, transmissis, proponebatur. CAIUS, ce-
lebris medicus, SEMPRONIUM, eiusque uxo-
rem et liberos, aduersa ualetudine correptos,
cura sua recreauerat, atque ad obtinendam
medicaminum et soltri satisfactionem, quam
SEMPRONIUS recusabat, cum illo experieba-
tur. Reus, litem contestatus, uxoris libero-
rumque



rumque morbos et sanationem non abnuebat, sed tantam pecuniae summam, quantam Actor pro medicina et honorario uelit, ab ipso iure peti posse, negabat, sui que ipsius curationem penitus inficiabatur, et peremptorias exceptiones factae donationis ac remissionis annectebat. Quapropter Actori, qui iurisiurandi delationem neglexerat, negatorum probatio, reseruata Reo reprobatione, iniuncta erat. At enim uero Actor, secum in animo considerans, sumtus, in thema probandum, quod ad solam SEMPRONII curationem medicam spectabat, nec ualorem 5. Ioachimicorum et dimidii excedebat, impendendos, fructu et commodo eius longe maiores fore, multo fatius et consultius existimabat, probationi renuntiare, officio iudicis implorato, ut Reus quamprimum de hac abdicatione certior redderetur. Hoc peracto, Reus, reprobationis beneficium superuacaneum reputans, eo intra tempus praestitutum non utebatur. Idcirco Actor, accusata Rei contumacia, rogabat, ut proxima in sententia, cum deserta reprobatione,

ne,



ne, simul oppositae exceptiones donationis et remissionis pro desertis haberentur, atque ad eo, his impedimentis, quae confessae uxoris et liberorum curationi obstabant, nunc remotis, Reus de praestanda litis aestimatione, ratione uxoris et liberorum manifesta, praeuia moderatione, iudicis arbitrio relicta, condemnaretur. Actor etiam desiderii sui ex parte compos fiebat, siquidem in lata sententia Reus tantam Actori summam, quanta Physico locali, publica auctoritate constituto, secundum morborum naturam, in salubritatem restitutorum conditionem, viae ad ipsos uel longae, uel breuis, et temporis consumti rationem, ac loci consuetudinem, iusta et aequa uisa fuerit, soluere iubebatur. Verum Actor noster, cum Physico ciuitatis in pari dignitatis doctoralis gradu collocatus, neque, ut aiebat, experientia, laude et gloria, in arte medendi inferior, aegre et moleste ferebat, huic iudicis partes in suorum medicaminum ac foftri determinatione mandatas esse. Hinc Actor, Physici localis iudicium detrectans, interposita

A 3

leutera-



leutatione, sibi in hoc causae capitae inclytae
 Facultatis medicae moderationem expetebat.
 A Reo autem, exceptionibus suis praeccluso
 et pure condemnato, in apprehenso eodem
 iuris remedio querela maioris momenti ha-
 bebatur. Posteaquam litigantes iura sua de-
 ducta ulteriori sententiae subiecerant, praeci-
 pua et praeiudicialis quaestio, *num Reus,*
pro re nata, ad probationem exceptionum sua-
rum adhuc admittendus sit? discutienda
 erat, quod reliqui loci controuersi ab ea de-
 pendeabant. Pro Actore pugnabat commu-
 nis DD. opinio: reprobationem suo comple-
 xu tacite et uirtualiter probationem exceptio-
 num continere, ac, deserta reprobatione, ex-
 ceptiones pariter desertas intelligi. Duplici
 enim sensu accipitur reprobatio, ut per illam
 non modo contrarium thematis probandi pa-
 tefiat, sed etiam ueritas exceptionum perem-
 toriarum ad liquidum exploretur. Hoc ex ue-
 teri ordinatione processus iudicarij Elect. Sax.
 Tit. XXI. §. 4. cognitum et compertum habe-
 mus, ubi disertis uerbis legitur: Da auch der
 Beklag-



Beklagte auf des Klägers angemessene Beweisung eine Gegenbeweisung führen wollte, und darneben Exceptiones peremptorias bey der Litis-Contestation, (wie er bey Verlust dererselben zu thun schuldig,) vorgewandt hätte, welche gleichergestalt auf Beweis stünden, soll er seine Gegenbeweisung zugleich auf diese seine Exceptiones richten, und hernach weiter darmit nicht gehöret werden. Cum decisio quaestionis nostrae ex laudata ordinatione sumenda esset, primo quidem intuitu Actor a Reo uictoriam certaminis reportare uidebatur. Sed, citato textu diligenter inspecto, eum *de probatione suscepta et perficienda, non de casu mox renunciatae et ne inchoatae quidem probationis* loqui, fatis apparerat. Sic res Rei conuerti, cessante expressa lege, ipsi contraria, omnino salua cernebatur, et ad rationes, pro ipso militantes, attendendum erat. Primum excusabat et tuebatur Reum, fatalia processus iudiciarii, nisi iure expresso de his cautum sit, non statuenda, neque ullam desertionis, praecclusionis et priuationis poenam, sine concepta legis sanctione, irro-



irrogandam, nec poenas ad diuersos et inaequales casus extendendas esse. Quid, quod etiam in poenis benignior interpretatio fieri debet, neque indignus misericordia, qui per errorem, concurrente inprimis alterius culpa, lapsus est. Deinde Reo patrociniabatur, reprobationem defensionis speciem esse, quae maximum fauorem mereatur, mortalium nemini auferenda. Tum hoc loco, quod maxime ponderandum erat, SEMPRONIUS non suo tantum, sed etiam uxoris et liberorum nomine conueniebatur, et sic, proprie dicendo, non una actio aduersus unum, eodem scilicet respectu, sed cumulate tres actiones, contra eandem personam diuerso respectu, ex diuersis debiti summis institutae fuerant. Porro Actori imperata probatio duntaxat Rei personam, eiusque negatum debitum proprium, non uero uxoris et liberorum debita, quippe quae in confesso erant, tangebatur. Haec argumenta, etsi practicae conclusioni: *quod omnis reprobatio inclusam probationem exceptionum comprehendat; remouendae non sufficerent, tamen Rei causam*


fam



sam eatenus subleuabant et protegebant, ut certe ex probabili ignorantia: in praesenti casu, intermissa licet probatione, nihilo minus reprobationem, quod ad exceptiones, necessariam fuisse; ipsi succurrendum esset, ne summum ius in summam iniuriam caderet, neue occasio iuris ad iniquum traheretur compendium. Quibus aequi et iusti fundamentis Ordo noster nixus, pronuntiare non dubitabat: Reum probatione exceptionum suarum, aduersus uxoris et liberorum confessa debita, adhuc audiendum, Actori uero reprobationem, et utrique etiam iurisiurandi delationem, reseruandam esse. Non taedet, breues decidendi rationes subiungere, neque id beneuolo lectori ingratum fore, spero. Erant autem istae in hanc sententiam conceptae: Diueil Kläger des ihm rechtskräftig auferlegten Beweises sich freywillig begeben, und solcher Beweis nur allein die für Beflagten's eigene Person an soltro liquidirten 5. Rthl. 12. Gr. betroffen, demnach Beflagter, wieder diesen Klage- und Beweis-Punct, welchen Kläger fallen lassen, Gegenbeweis zu führen, nicht
B nöthig



nöthig gehabt, Hiernächst Beflagter die zweene übrige Klage-Puncte, daß er nemlich für sein Ehe-weib, und seine Kinder, Klägers curae medicae sich bedienet, bey der Litis-Contestation zwar eingeräumt, jedoch deshalber die peremptorias exceptiones factae donationis et remissionis opponiret, und, daß er, nach Gelegenheit dieses Falles, an dem Beweise seiner Exceptionen durch die unterbliebene Gegenbeweis-Führung, zumal er solche nicht ohne wahrscheinliche Ursache unterlassen, sich versäumet, mit Bestande nicht zu behaupten, gestalt denn weder hiervon in der Churfürstlichen Sächsischen Proceß-Ordnung, woraus diese Sache zu entscheiden, etwas ausdrücklich disponiret, noch auch fatalia processus iudiciarii, und eine Poena desertionis, sine expressa lege, zu statuiren, weniger dasienige, was in angeregter Proceß-Ordnung Tit. XXI. §. 4. bey des Klägers angemäßigem Beweise versehen, sich auf dessen gar nicht angetretenen, sondern sofort renuncirten Beweis ziehen läßt zc. So ist, wegen dieses Puncts, wie im Urthel enthalten, von uns billig erkannt worden. Ceterum silentio praeterire



terire nequeo, praedictas litis contentionisque ambages euitari potuisse, quando in priori sententia seorsim ac distincte, propter negatum primum caput libelli, probatio intentionis Actoris, ob affirmata uero reliqua capita probatio exceptionum Rei decreta, et utrique parti, in suo themate probando, reprobatio referuata fuisset. Quod in simili casu, ubi libellus ex pluribus, eisque diuiduis constat capitibus, accurate et melius, quam uulgari stilo curiae fieri solet, obseruari decet, immo oportet.

Venio nunc ad Candidatum nostrum, cuius uitam honeste et laudabiliter actam, quibus ipse exposuit, uerbis referam.

Ego, IOANNES GODOFREDVS KRETSCHMANNVS, natus sum d. VII. Iulii MDCC XXVIII. Patriam colo Zittauiam, urbem in Lusatia propter syluam Bohe- micam nitidissimam, ubi parens, IOANNES GODOFREDVS KRETSCHMAN- NVS, causarum patronus prouincialis ordinari-



*us, ciuis primarius et Deputatus ciuitatis diu
 multumque in causis perorandis uersatus, me ge-
 nuit ex dilectissima matre, THEODORA
 ELEONORA, filia M. AVGVSTI POS-
 SELTI, Pastoris primarii apud ciues meos,
 dudum uero pie defuncti. Quae omnes fere
 mortalium conditionem mutare solent uicissitudi-
 nes, et mihi ab ineunte aetate contigerunt. Vix
 enim uiuere, easque dulcedines experiri coepe-
 ram, quae ex prouidentissima optimorum paren-
 tum cura in iuuenes redundant, cum mors, ecce,
 interuenit, meque dulcissima orbauit matre.
 Factum exinde est, ut secundas OPTIMVS
 PARENS nuptias celebraret, atque in matri-
 monium duceret CHRISTIANAM ELEO-
 NORAM, filiam GODOFREDI HEN-
 NIGII, medicae artis Doctoris et Practici
 Zittauiensis celeberrimi. Si plus iis debemus
 matribus, quae animum, quam quae corpus no-
 strum formant, nouerca mihi ueneranda est,
 cuius*



cuius insigni amore molestum educationis opus patri meo facilius est redditum, et fundamenta felicioris uitae iacta sunt. Quod expertus sum, quam utile sit, Deum colere, linguas addiscere, matthesi operam nauare, historiam, ingenuas artes, aliasque ad humanitatem facientes nosse scientias, non iis solum, qui priuatos inter parietes studia mea formarunt, sed uiris quoque debeo, de patrio illustri Gymnasio meritissimis, Directori nimirum praenobilissimo GERLACHIO, BVCHERO correctori, STRAVPITZIO subrectori, nec non GRVENEWALDO, STEPHANO et PESCHECKIO, inter quos BVCHERVM in priuatis lectionibus, non sine magno meo emolumento, frequentavi, quorum uero omnium, dum uiuo, gratissima mihi erit memoria. Fundamentis igitur sedulo positis, non potui non alacriori pede, progressu feliciori, ad hanc Musarum sedem, amoenissimam almam Wittembergam, accedere, atque studio-




rum maiora quaerere incrementa. Factum hoc est anno M DCC XLIX. mense Nouembri, quo Rectori Academiae Magnifico, GEORGIO AVGVSTO LANGGVTH, salutaris artis Doctori et Professori Publico inclutissimo, fidem nomenque meum primum dedi. Praeter reliqua, quae Vittembergam ornant studiorum genera, ius mihi placuit, cuius amor fere innatus me eo facilius cepit, cum ipsi et OPTIMVS PARENS honorem fortunamque deberet. Gratissima mente agnoscam atque celebrabo indefessum laborem tum Philosophorum, tum Procerum iustitiae, Professorum scilicet et Doctorum utriusque Iuris, qui in hac celeberrima Academia uiuunt, docent, florent. Praelectionibus nimirum tam publicis, quam priuatis, illustrium doctissimorumque uirorum B. AVGVSTINI A LEYSER, BASTINELLERI, CRELLII, RIVINI, HANACCII, KRAVSII, MENCKENII, RITTE-
RI



RI et HILLERI interfui, quorum Scholis non sine magno commodo usus sum. Inprimis uero MENCKENII institutioni priuatissimae plurimum me debere, gratissimus fateor. Instat autem tempus, ut, quam patria de me cepit spem, expleam, atque in eius foro ius defendam.

Ex quibus patescit, Candidatum nostrum uitam suam ita uixisse, ut nihil quicquam dici possit, quod uirtus eius non superet. Vtrumque etiam examen rite sustinuit, et iuris scientiam ac peritiam, promte et accurate respondendo, satis probauit. Nulla igitur causa aut mora fuit, quin ea, quae uellet, communi concordique suffragio impetraret. Quare dissertationem suam inauguralem *de pacto coniugum improlium successorio secundum statutum Zittauense*, uulgo *Auffgabe*, praeside uiro praenobilissimo, amplissimo, atque excellentissimo, CHRISTIANO HANACCIO, Icto, digesti infortiati et noui Professore publico,
Curiae



Curiae Prouincialis, Scabinatus, et Facultatis
iuridicae Assessore, Conuictorii Regio-Electo-
ralisInspectore, proximo die Martis, xxvi.
Martii, in auditorio maiori horis ante et post
meridiem solitis habebit. Quem actum sole-
mnem ut Magnificus Academiae Rector, Illu-
strissimi S. R. I. Comites, Perillustris liber Ba-
ro, Patres conscripti, Proceres Academiae,
Generosissimi ac Nobilissimi Ciues, honorifica
sua praesentia condecorare uelint, ea, qua de-
cet, obseruantia rogo, obsecro. Ordo noster
et Candidatus dabunt operam, ut hanc bene-
uolentiam et humanitatem paribus ac mutuis
studiis atque officiis possint remunerare.

P. P. Domin. Laetare A. C.

M D C C L I V.

V I T T E M B E R G A E

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS.



Coll. diss. A. 242, misc. 29